

*Iesus nascetur de Maria,
desponsata Ioseph, filio David.*

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Matthæum 1, 18-24

¹⁸ Iesu Christi generátio sic erat.

Cum esset desponsáta mater eius María Ioseph,
ántequam convenírent
invénta est in útero habens de Spíritu Sancto.

¹⁹ Ioseph autem vir eius,
cum esset iustus et nollet eam tradúcere,
vóluit occúlte dimíttere eam.

²⁰ Hæc autem eo cogitánte,
ecce ángelus Dómini in somnis appáruit ei dicens:
«Ioseph fili David,
noli timére accípere Maríam cóniugem tuam.
Quod enim in ea natum est,
de Spíritu Sancto est;

²¹ páriet autem filium,
et vocábis nomen eius Iesum:
ipse enim salvum fáciat pópulum suum
a peccátis eórum».

²² Hoc autem totum factum est,
ut adimplerétur id, quod dictum est a Dómino
per prophétam dicéntem:

²³ «Ecce, virgo in útero habébit et páriet fílium,
et vocábunt nomen eius Emmánuel»,
quod est interpretátum «Nobíscum Deus».

²⁴ Exsúrgens autem Ioseph a somno
fecit, sicut præcépit ei ángelus Dómini,
et accépit cóniugem suam.

Verbum Dómini.